

legenheiten des gesammten deutschen Vaterlandes mitzustimmen, und so nebst den Angelegenheiten der Kirche auch die des Bürgerstandes geltend zu machen vermochten, was die deutsche Bundes Acte heut zu Tage nicht einmal den mediatisirten Fürsten und Grafen gestattet » ⁵¹⁾.

Auch profan- und kirchengeschichtlich gesehen muss das Leben Abt Scheyrles ähnlich beurteilt werden. Während Abt Georg, der grosse Organisator, eine sehr bewegte Zeit über das Stift leitete und kampf- und streitgeübt in Wort, Schrift und Tat die Stürme meisterte, muss der Chronist über Abt Gilberts Regierung schreiben : « Gilbert erlebte ruhige und glückliche Zeiten », und als Beinamen gab er ihm « der friedliebende Abt » ⁵²⁾.

Betrachtet man schliesslich Abt Gilberts Leben geistes- und kunstgeschichtlich, so entsteht auch hier die unbefriedigende Situation, dass er dazwischen steht. Scheyrle wurzelt noch fest in der aristotelisch fundierten Philosophie und Theologie der vom Humanismus bedrängten nachmittelalterlichen Kirche, die sich im Barock und Rokoko kunstgeschichtlich voll ausgegeben und dargestellt hat. Abt Georg gehört dieser Zeit vollblutig an. Abt Gilbert aber erkennt im Rationalismus eine geistige Gegenfront, der er nicht mehr gewachsen ist. Er muss aber in dem dieser Weltanschauung zwangsläufig folgenden Baustil des Klassizismus Gutes, Schönes und Klares entdecken. Und so baut er, es muss das symbolisch gesehen werden, zuerst Biberach in Rokoko und dann aber die frühklassizistische, noch teilweise rokokohafte Elemente aufweisende Kirche zu Breitenthal.

Und doch, was lässt sich Schöneres über einen Regenten schreiben als das, was der den Nekrolog des Klosters führende Chorherr über den « Hochwürdigen Herrn Herrn Gilberti den Ersten » geschrieben hat :

« Er hat gegen die 6 Jahr dem Gottes Haus löblich vorgestanden, mit Sorgfalt und ruhmvollem Eifer regiert » ⁵³⁾.

H. WULZ.

⁵¹⁾ S. N. 43.

⁵²⁾ S. N. 10.

⁵³⁾ Pfarrarchiv Roggenburg: Necrologium Roggenburgense 1801.

Compte rendu des séances des États du Brabant de 1648 à 1682

par Libert de Pape, abbé du Parc, membre des États

(suite et fin) *)

f^o 198^{vo}. — 22 Decembris, D. Blondel dixit D. graffiaro Bouton se fecisse relationem suae Excellentiae, eumque respondisse ut Status exhiberent scripto sua alia privilegia, quae se existimarent habere ad inficiendam impositionem dicti parvi sigilli. Et graffiarus, facta in Statibus relatione, verentes ne scripto facerent deductionem, aula illam assumeret pro rescriptione, et quasi formato processu, ferret sententiam, resolverunt respondendum D. Blondel se oretenus in conferentia omnia dixisse, quae putabant dici debere, et si de aliqua assertionem dubitarent, in aula se explicaret et asserta docerent etc.

En marge : « Tweemael de 20^{ten} penninck ».

Septem deinde est deliberare super subsidio petito, etc., resolverunt accordare ut secundo levaretur vigesimus nummus, uti elapso hoc anno levatus fuerat, et sub conditionibus uti in praeterito subsidio, salvo quod si in rurali patria cum colonis conventum esset super ferendis publicis oneribus, staretur conditionibus, et civitates equivalentiam vigesimi invenirent modis sibi melius visis.

23 Decembris, Dicta deliberatio resumpta fuit et confirmata, et resolutum addere hoc fieri sub firma spe quod parvum sigillum etc. amoveretur.

*) *An. Praem.*, XXIX (1953), 111-128, 251-288; XXX (1954), 60-122; XXXV (1959), 103-152, 284-300; XXXIX (1963), 153-164, 304-341; XL (1964), 60-89. L'édition de ce manuscrit fut commencée par Lenaerts (†); elle est continuée par Fr. Breuls de Tiecken, O. Praem.

Post meridiem dicta opinio coram Cancellario lecta et aperta fuit.

f° 199.

DIARIUM

STATUUM BRABANTIAE

A SECUNDA JANUarii 1673, 1674 ETC.

USQUE 1682

f° 200. — Anno 1673.

Secunda Januarii, D. Cancellarius Brabantiae attulit actam acceptionis super subsidio accordato 22 decembris praeterito, quo consensus fuit datus levandi bis nummum vigesimum pro uno anno, secundum quod elapso anno tertio fuerat accordatus. Item Gubernator per epistolam singularem petiit anticipationem 150^m flor., super qua petitione Status generales per Graffiarium convocati,

9 Januarii, convenerunt et,

10 Januarii, resolverunt non convenire anticipare super petito subsidio, sed pro facienda solutione militibus consenserunt, in quantum necesse erit, ut levarentur 100^m flor. super impostis currentibus, et per epistolam hoc indicaretur Gubernatori, et per Deputatos deferretur, et simul nonnulla puncta indicarentur, etc., quod

11 Januarii, per D. Baronem de Dongelberge, burgimagistrum Antwerpiensem ²⁶²⁾, graffiarium Bouton et me factum fuit, et exposuimus difficultates quae erant Bruxellis ob non solutionem vigesimi nummi praecedentis anni, item quae erat Lovanii ob recusationem solvendi vigesimum nummum ex parte Universitatis. Item petebamus abolitionem parvi sigilli, erecti in concilio Brabantiae, et respondebat Gubernator ut nostra privilegia desuper daremus scripto. Item petebamus scire resolutionem Reginae super reparatione privilegiorum, ob quem finem baro de Goyck fuerat in Hispania, et Regina Statibus scripserat resolutionem suam se indicasse Gubernatori, et ab illo apertiore peteremus. Ad quod respondit Reginam

f° 200^{vo}. — tantum scripsisse in terminis generalibus, etc., et inter colloquendum aiebat, me cum D. barone de Dongelberge sufficere ad dirigendum totum Statum Brabantiae ubi illum vellemus inclinare; deinde etiam dicebat se cum nullis Statibus habere difficultates quam cum Statu Brabantiae.

28 Januarii, Juxta commissionem D. Gubernatoris, datam circa 8 decembris praeteriti mensis, et deputationem factam 12 decembris,

²⁶²⁾ Il y en avait deux: Floris van Bechem et M. Jean Vecquemans (BUTKENS, o. c., t. II, p. 529).

post meridiem, infra tertiam et quartam pomeridianam, in sabbatho, convenerunt in cubiculo Statuum, in domo civica, D. D. Consilarii Franxen fiscalis, Wynants et Vaes ; et ex parte Statuum adfuerunt ego, baro de Dongelbergh, et burgimagister Bruxellensis Marselaer, cum graffiaro Bouton, et lecta fuit epistola D. Gubernatoris scripta deputatis Statuum, cum adjuncta commissione, et graffarius petiit a D. D. Consiliariis utrum haberent aliquam specialem instructionem, et responderunt quod non. Hinc deliberatum fuit quomodo emendari possent registra ultimi vigesimi nummi elapso anno soluti, et post longam conferentiam, resolutum ut confrontarentur registra a 5 aut 6 annis confecta, in ordine ad faciendam « een hertellinge », cum registris vigesimi nummi.

30 Januarii, D. Gubernator evocavit D. Graffarium ut sciret quid in praefata conferentia actum fuisset, et volebat ut indies, et sine cessatione in executione suae commissionis, incumberetur.

7 Februarii, Dicta conferentia continuata fuit a quinta pomeridiana usque ad septimam. Item 8 februarii, item 10 februarii, item 14 februarii, 16 martii, 21-22-23 martii.

15 Martii, Tres majores Civitates intulerunt consensum super subsidio, in decembri elapso per Praelatos et Nobiles

f° 201. — accordato, de solvendo pro currenti anno bis vigesimum nummum, cum hac differentia quod Lovanienses et Bruxellenses accorderunt cum duobus primis Statibus bis vigesimum nummum, sic ut medietas portaretur a proprietariis et altera medietas a conductoribus ; Antwerpienses vero, pro sua civitate et pagis infeudatis, tantum in toto solverent 100^m florenorum, invenienda per levationem reddituum vitalium, et an solvendo vigesimo nummo, propriarius vel colonus solverent sicuti conventiones mutuo initae haberent, sicuti duo primi Status conditionaverant, et insuper idem volebant servari in redditibus.

16 Martii, Duo primi Status declararunt esse consensum in dicto subsidio, sed civitates esse inducendas tamen ut se conformare vellent cum duobus primis Statibus in conditione addita quis solvere deberet an colonus an propriarius.

24 Martii, Attulit Cancellarius actam acceptationis super opinionibus civitatum in subsidio, proposito in decembri praeterito, de 16 centies mille fl., et quod se resolvit in vigesimo nummo bis solvendo etc.

11 Aprilis, *En marge* : « Imposten ».

Per D. Cancellarium, nomine Regis, petitae fuerunt impostae pro medio anno, inchoandae 1^a junii 1673. Antequam desuper resol-

veretur, duo primi Status voluerunt Gubernatori exhiberi remonstrantiam super abolitione facienda parvi sigilli, impositi in concilio Brabantiae, de quo supra. Et quia Graffiarius Bouton necdum illam perfecte expediverat,

12 Aprilis, tum praesentes, ego autem non aderam, instigantibus baronibus de Goyck et Dongelberge, concluderunt dandum esse D. Bouton unum adjunctum, eo quod valetudinarius esset, et ob multitudinem agendorum solus cuncta perficere non posse videretur, et indixerunt diem pro 26 aprilis, et scripserunt absentibus et etiam civitatibus ut in dictum diem convenirent, et in eventum quo

f^o 201^{vo}. — comparere non possent, resolutionem suam scripto mitterent, an judicarent adjunctum ponendum esse, et in eventum quod sic, suffragium suum scripto transmitterent, ut illo die, collatis opinionibus praesentium et absentium, resolveretur an adjunctus ponendus esset, et simul ad electionem procedendum, an vero supercedendum.

26 Aprilis, Convenerunt plurimi Nobiles, et unus aut alter votum suum scripto misit. Dux vero Arschotanus et Baro de Wemmel, qui infirmus erat, modum istum scribendi et convocandi scripto improbarunt ; Ex primo Statu comparuerunt D. D. Vliddelbacensis, Villariensis, S^{ti} Bernardi, Grimbergensis, Diligemensis et S^{tae} Gertrudis, aderant D. Heylessemensis et ego. Comparuit et D. Cancellarius Brabantiae, et oretenus novam instantiam fecit pro consensu super impostis 11 hujus petitis, et omissa resolutione desuper capienda. Nobiles urserunt procederetur super constitutione adjuncti graffiarii, et 1^o lectae fuerunt epistolae absentium ex primo Statu, R^{mus} Archiepiscopus Mechliniensis sua epistola improbatat modum convocationis R. R. D. D. Sancti Michaelis, Averbodiensis et Tongerloensis scribebant in eventum quo D. D. praesentes judicarent ponendum esse adjunctum, se requirere ut diem pro electione facienda statuerent in prima generali congregatione convocanda per Regem. Itaque resolutio praesentium ex primo Statu et secundo Statu, repugnante me et R. Heylessemensi, tulit D. Bouton dandum esse adjutorio D. Bouton. Hac resolutione capta, processum fuit an hodie procedendum esset ad electionem graffiarii adjuncti, an differendum in primam generalem convocationem, ex eo quod ego cum D. Heylessemensi, juxta requisitionem

f^o 202. — R. R. D. D. absentium hoc peterem, resolutum fuit, nobis renitentibus, electionem non esse differendam, sed juxta litteras convocatorias hodie ad eandem procedendum esse, requisitionem

D. D. absentium tantum esse requisitionem, et illam admittere noluerunt. Et facta deliberatione illam rejecerunt, et quasi novo adjuncto graffiaro impregnati fuissent, illico illum parturire voluerunt, Nobilibus instigantibus, Abbates, cumque illos nequaquam emollire possemus, et cum jam prima meridiana esset, et nimis sero ad legendos libellos praetendentium, petivimus electionem differri in crastinum, quod et nobis recusatum fuit, Hinc D. Heylessemensis et ego, cum deputati Civitatum egrederentur, surreximus, D. Heylessemensi dicente : hora est, et e congregatione discessimus, Reliqui autem, ut praetensam suam electionem perficerent, usque post tertiam pomeridianam sessionem suam continuarunt. Et deinde intellexi, quod Nobiles cum residuis abbatibus recusarunt differri electionem in diem crastinum, eo quod timuissent quod nos in Concilio Brabantiae sollicitassemus interdictionem praetendendi ad electionem. Omnium autem votis electus fuit D. N. Blanche, quem ignorarunt an esset Limburgensis aut Leodiensis, et assignarunt pensionem annuam 1500 florenorum.

27 Aprilis, Facta sessione, ante omnia lectum fuit registrum diei praecedentis, quo lecto, ego et D. Heylessemensis petivimus copiam illius et epistolarum D. D. absentium, et protestati fuimus de nullitate electionis factae, et cum egressi essemus, facta deliberatione, resolverunt nobis dandam esse copiam registri, et cum intrassemus, et gratias ageremus de sumpta resolutione, et intelligerent nos copia registri uti velle ad improbandam electionem, aliqui nobilium dixerunt, juxta instructionem datam

f^o 202^{vo}. — D. D. Deputatis, antequam aliquam copiam sive ex registro sive aliis documentis, prius interrogari debere in quem finem ea vellent uti ; libere respondimus nos ea uti velle ad improbandam electionem, et communicare velle tertio Statui ; hinc nobis recedentibus, desuper iterum deliberaverunt, et advertentes nos rem serio putare, destinarunt ad nos in parvo cubiculo D. Bouton graffiarum, qui interrogavit nos an ideo vellemus annullare electionem quia illi non interfuissemus. Respondimus, nos hoc non dicere, nec dicere debere ex quo capite vellemus eam annullare. Deinde reintrantibus nobis Graffarius dixit juxta resolutionem dominorum nobis non esse communicandas copias petitas ; iterum nos pro resolutione egimus gratias, et adjecimus nos via juris petituros quae ex civitate petita, nobis recusaverant, et valde nobis mirum fuisse visum quod ubi heri tantum petieramus electionem differri in hodiernum diem, quod hoc nobis fuerit denegatum. Tum diversi ex

D. D. Abbatibus et etiam nonnulli nobiles, pro pacificanda questione, nos rogabant utrum Abbates jam vellent reeligere, et nos cum illis eligeremus, hoc recusavimus, dicentes rem non esse in suo integro, et post nonnullos discursus processum fuit ad resolutionem super petitis impostis, et accordatae sunt sub eo modo et forma quo hactenus cucurrerant, et non fuit inventum consultum quod amotio parvi sigilli, in Concilio Brabantiae appositi, conditionaretur, sed tantum desuper nova requisitio fieret, et responsio vigeretur super remonstrantia desuper exhibita. Et quia multi conductores impostarum forensium cum nummis acceptis aufugiebant, aut non solvebant, et remissionem indies petebant, et monasteria ac abbatias vigeant, duo primi Status addiderunt suae opinioni

f^o 203. — quod impostas relinquere possent parvis civitatibus pagis et monasteriis, si eas recipere vellent pro illo praetio quo a triennio voluerunt, facta fractione trium annorum etc.

Vesperi D. Heylessemensis et ego adivimus Archiepiscopum, et retulimus quae acta fuerant super electione adjuncti graffiarii, et ostendimus requestam quam praesentare intendebamus in Concilio Brabantiae pro optinendis copiis petitis et interdictione ; una mecum judicabat convenire in Statibus intertinere pacem, tamen non neglegendam justitiam, tentare posse, et si favorabilem apostillam optineremus, illa uti, sin minus supercedere. Itaque

28 Aprilis, D. Heylessemensis, et ego praesentavimus requestam in Concilio Brabantiae, in qua narravimus quae gesta fuerunt in pre-tensa electione adjuncti graffiarii Statuum, et conclusimus ut D. Bouton, et omnibus quorum interest, ordinaretur sine dilatione nobis communicare petitas copias, et interdicere ne pretensa facta electio communicaretur tertio Statui etc. et impetravimus in pleno Concilio favorabilem apostillam et nostrum intentum ; quam eodem die curavimus insinuari D. graffiaro Bouton, et

29 Aprilis, die sequenti D. Baroni de Dongelberge uti deputato secundi Status, et cum nostra epistola misimus Magistratui Bruxelensi, qui valde prompte pridie D. Blanche etiam elegerat in adjunc-tum graffiarum, et vesperi curavi Lovanii insinuari Burgimagistro Lovaniensi ²⁶³) et per Nicolaum Maes curavimus insinuari Antwerpie etc. Et cum D. baro de Dongelberge et graffiarus multis in contrarium agerent, et malas sequelas vigerent etc. D. Heyleesmensis et ego signavimus actam, quia declaravimus nos D. D. insinuatos

²⁶³) Messire François de Saint-Victor, chevalier (BUTKENS, o. c., t. II, p. 420).

habere pro diligentibus usque ad primam generalem congregationem per Regem convocandam, in qua speraremus obtinere plenam satisfactionem, sic ut ulteriori processu non foret opus. Et tanquam deputati primi Status, diximus non esse convocandum primum Statum in hunc finem sed in prima generali

f^o 203^{vo}. — Statuum congregatione per Regem ordinanda, de hac difficultate per Graffiarium specialiter esse informandum ; quod si D. baro de Dongelberge iudicaret secundum Statum magis tempestive convocandum esse, ipse ea in re faceret quod sibi bene visum esset.

30 Aprilis, In dominica, D. baro de Dongelberge et graffiarus Bouton his non contenti, convocarunt D. D. abbates Grimbergensem et Diligemensem et nobiles ex secundo Statu quos Bruxellis potuerunt reperire, et ob indispositionem Graffarii comparuerunt post meridiem solus abbas Diligemensis et diversi nobiles, et sub nomine duorum primorum Statuum convocarunt et scripserunt omnibus absentibus quod abbates Parchensis et Heylessemensis curassent insinuari primum graffiaro Bouton et deinde D. baroni de Dongelberge, litteris clausis inscriptis deputatis trium Statuum, requestam per illos praesentatam in Concilio Brabantiae, in finem ut illis traderetur copia registri et epistolarum scriptarum per archiepiscopum Mechliniensem et abbates Sancti Michaelis, Averbodiensis et Tongerloensis, super electione duorum primorum Statuum unius adjuncti Graffarii facta 26 Aprilis, cum interdictione provisionali communicandi dictam electionem tertio Statui ; scripserunt inquam putare se officii sui esse absentes dominos duorum primorum Statuum desuper informare, in finem ut illis placeret Bruxellis praesto esse die veneris instanti, 5^a futuri mensis maii, ut die sequenti, mane, ordinariis loco et hora, in communi congregatione simul resolvere possint quid super dicta requesta conveniret facere aut dicere ; et N. N. pro tunc expectando sine aliqua exceptione, et seponendo omnes excusationes, propter importantiam causae, et quae ex illa nata sunt sequi, manemus etc.

6 Maii, Omnes abbates primi Status comparuerunt, non autem episcopi, et plures nobiles, comparuit etiam Cancellarius qui attulit actam acceptionis, in qua contra requisitionem duorum primorum Statuum, cautum fuit, ut impostae elocarentur more solito — abeunte Cancellario, D. Heylessemensis et ego, tanquam non vocati, exivimus e congregatione, et deliberare ceperunt quid agerent cum nostra requesta ; et curarunt me moneri et D. Heylessemensem ut post meridiem in congregatione adesse vellemus, et comparuimus, et

protestati sumus nos praesentando requestam in Concilio Brabantiae aliud non intendisse quam conservationem juris D. D. absentium, qui privari non poterant quominus suffragium suum pro adjuncto Graffiaro darent, et dies opportunus illis daretur ; qui cum jam praesentes essent, possent factum nostrum approbare vel improbare, et resolvere quid agendum putarent, et vel agere ad annulationem praetensae electionis, vel eandem approbare. Tandem abbates Sancti Michaelis Averbodiensis et Tongerloensis, approbarunt nostrum processum, nos bene egisse et se per praesentes voce privari non potuisse, nec ipsos diem ad eligendum negari non potuisse, et judicarunt se nobiscum fundatos esse ad agendum pro annulatione electionis ; tamen pro bono pacis inter duos primos Status, manutenendo, assentientibus nobis, adjunxerunt se electioni factae de Domino Blanche ²⁶⁴), sub conditione quod non admittetur in possessionem nisi ad sufficientiam juris probaverit se esse Limburgensem, de quo apud aliquos dubitabatur, — et sub aggregatione D. archiepiscopi Mechliniensis. Qui archiepiscopus factum nostrum etiam approbavit, et indicavit non deesse rationes ad annullandam praecipitatum istam electionem adjuncti Graffarii, et judicavit inter resolutionem de ponendo adjuncto Graffiaro, et electione ejusdem, notabile aliquod tempus interponi debuisse, ut aspirantes potuisset se praesentare, et absentes domini de primo Statu adesse pro facienda electione, et pro bono pacis adjunxit se factae electioni sub conditione ut supra, et abbates Parchensis et Heylessemensis declararunt, data satisfactione suis principalibus, se requestam praesentatam habere pro non praesentata, et consentire ut tertius Status procederet cum sua electione

f^o 204^{vo}. — 16 Maii, Bruxellis collocati sunt aliquot regimina peditum, et circa 20 cohortes equitum et Statibus mandatum ut equis provideretur de pabulo, ut praesto essent et observarent transitum Gallorum et accessum regis Galliae, praecedentibus duobus aut tribus annis collocati fuerant in pagis circa Bruxellam intra Lovanium et Vilvordiam, nunc autem collocati sunt in ipsa civitate Bruxellensi, et pro peditibus factae sunt barachae, et pro equis stabula, et plures equi hinc inde positi sunt in tabernarum stabulis.

18 Maii, D. Blanche, nuper electus adjunctus Graffarius, cepit suam possessionem, et prius lectae fuerunt electiones trium civi-

²⁶⁴) Blanche (Nicolas) chevalier, seigneur de Rivière, mourut le premier novembre 1708 (GAILLARD, o. c., t. III, p. 365).

tatum et acta archiepiscopi Mechliniensis, quia laudabat oppositionem factam per abbates Parchensem et Heylessemensem, et pro bono pacis condescendebat in electionem factam, et quia apparenter baro de Dongelbergh et graffiarius Bouton verebantur ne nos possessioni sumendae per D. Blanche opponeremus, ob alium praetextum nos induxerant ut viciniore ex duobus primis Statibus in hunc diem convocarentur.

25 Maii, Coram Cancellario apertae sunt opiniones civitatum super consensu impostarum, et ubi civitates semper antea institerant ut nulli ab illis essent exempti, nunc latum Concilium Bruxellense, vulgo « den Weyden Raet » voluit, ut qui antea ab impostis fuerant exempti, nunc hoc termino durante, ab impostis essent liberi, et nationes desuper fuerunt, et res eo usque fuit disceptata ut fuerint quatuor nationes contra alias quatuor, et nona natio, dicta Sancti Joannis, etiam inter seipsam divisa, tandem consensit in impostis, sub conditione quod nullus ab illis esset exemptus, sicut aliae duae civitates

f^o 205. — conditionaverant ; quod ubi audivit Cancellarius, in publica trium Statuum congregatione dixit quod solutio exemptorum in impostis cederet in ruinam civitatis, et quod quia ipsi solvere cogebantur, quod impostae jam minus proferrent quam antea, hoc inde liquere, quod conductores jam passim peterent remissionem suarum conductionum, et ad petitionem utrum hujus dicti teneretur nota in registro, opiniones variarunt. Circa finem maii decem aut duodecim cohortes equitum ultra aliquot millia peditum locata sunt Bruxellis, propter transitum regis Galliae cum suo exercitu per Brabantiam, et Status Brabantiae onerati sunt ut illis procurarent pabula. Et quia Rex cum exercitu suo nimis propinque Bruxellam accedebat, et quasi videbatur Bruxellam cingere, ac si voluisset obsidere, ipse quippe Rex fixerat sua tentoria prope Anderlecht, et alia pars exercitus intra Haren et Crainhem, et quia jam triduo ibidem heserat,

2 Junii, plebs Bruxellensis, desuper irritata, nitebatur ut Galli inde repellerentur, et quia comes de Monterej, Gubernator, Antverpiae erat, Status Brabantiae accesserunt Gubernatricem et ostendentes rei indignitatem, et plebis accensum animum, convocato Consilio Status, resolutum ut ex parte Consilii Status deputaretur D. Emanuel de Lyra, ex parte Statuum Brabantiae baro de Dongelberge et ex parte civitatis Bruxellensis, D. vander Noot, qui sub vesperum accesserunt Regem Galliae, indicantes graves insultus et depraedationes quae in ecclesiis ruralibus et patria per milites illius committe-

bantur, et rogantes ut citius vellet discedere, et indicare qua via iturus esset, alias quod furorem populi amplius moderari non possent, qui verosimiliter insultum esset facturus in quarterium regis. Rex respondit quod milites ipsius, hinc inde tantum

f° 205^{vo}. — aliquod terriculamentum causarent puellis Bruxellensibus, et non credere quod ecclesias violarent, citius transire se non posse, eo quod nostri omnes abjecerant ; quam viam autem capturus esset, hoc se nescire.

4 autem Junii, Ante ortum diei, mane, secessit per Anderlecht versus abbatiam Ter Cameren, et per silvam Soniae et Jesus Eyck tetendit Vuram Ducis, et tentoria fixit in pago de Vossem, et miles innumera jumenta, quae in silvam se retraxerant, secum abegit ; alia pars exercitus, quae jacuerat inter Haren et Crainhem, per Stockel et Wesembeke tetendit Vossem et Leeffdael, et heserunt ibidem per tres dies et noctes, et

7 Junii, ante ortum solis inde discesserunt, et in Achtenrode et St. Joris Weerde transierunt Diliam, et tetenderunt Neten, inde Meldert, Hougarde, Heylessem etc., Landen, intraverunt patriam Leodiensem in Gingelom, et inde Trajectum quod obsiderunt.

22 Junii, Post longas instantias D. Dielbeke, burgimagistri Lovaniensis. qui conquerebatur quod anno 1670 non habuisset completos dies vacationis suae in Statibus, facta discomputatione praesentis anni in quo habiturus esset excrescentiam, pro supplemento anni 1670 thesaurario ordinatum est ut ipsi solverentur 175 floreni.

En marge : Obiit Wemmel.

Eodem die, post meridiem, intra quartam et quintam, post morbum trium mensium et senium obiit Baro de Wemmel, qui fuerat circiter 36 annis deputatus in Statibus.

4 Julii, Comparuit Cancellarius ut faceret instantiam ad conciliandas opiniones civitatum Lovaniensis et Bruxellensis

f° 206. — cum praelatis, nobilibus et civitate Antwerpiensi, qui voluerant ut vigesimus nummus in subsidio currenti portaretur a conductoribus ubi elocationes sic statuerent, et alii volebant ut universaliter mediatim tantum portaretur a conductoribus, et mediatim a proprietariis ; et quia opus erat ut secundus vigesimus nummus citius solvetur, propter epistolam scriptam a Gubernatore, deliberatum fuit an per provisionem non posset remitti, interim quo laboraretur pro facienda conciliatione opinionum, et quia deputati civitatum Antwerpiensis et Lovaniensis aberant, resolutum ut illico convocarentur.

En marge : Baro Daneels.

Eodem die pro prima vice intravit Status, uti baro de Corbeke Overloo, D. Daneels, et ego excepi illius juramentum.

8 Julii, Deputati trium civitatum consenserunt ut vigesimus numerus pro secunda vice emitteretur, interim quo laboraretur ad conciliandas opiniones quisnam pro medietate etc. teneretur solvere.

En marge : Baro de Perck.

Eodem die D. Marselaer qui dudum habuerat litteras patentes baronatus de Perck, et interim factus fuerat consiliarius in Concilio Brabantiae, et deinde, resignato consiliariatu, factus fuerat elapso anno burgimagister Bruxellensis, facta mutatione magistratus, cepit hodie possessionem et locum in Statibus, inter barones.

10 Julii, Cancellarius exhibuit graffiaro Bouton duas epistolas reginae Hispaniae super exemptione religiosorum mendicantium a talliis et impostis, quae lectae fuerunt, et desuper nihil resolutum quia nihil desuper a nobis fuerat interrogatum.

19 et 20 Julii, Postquam per plures dies Gubernator institisset apud Concilia Mechlinensae, Flandrencae, Hannoniensae etc. et Brabantiae, ut in hac necessitate patriae consilarii mediam partem fructuum unius anni vellent dare Regi, et omnes

f^o 206^{vo}. — fuissent involuntarii, D. Gubernator totum Concilium Brabantiae ad se vocavit in aula, et singulos in particulari allocutus minis induxit ut signarent suam petitionem se scilicet daturos medietatem fructuum unius anni sui officii, et casu quo signare recusarent, se hoc accepturum pro inobedientia ; et cum omnes per ordinem signassent, tunc toti Concilio simul locutus, dixit se scripsisse illi litteras inductivas quasi petiisset etc., nunc aiebat se declarare quod illos ut hoc darent non rogasset, sed ipsis hoc ordinasset, ut scilicet darent medietatem suorum fructuum unius anni.

21 Julii, Erat a nobilibus indicta dies electionis unius deputati Statuum in locum D. baronis de Wemmel, qui 22^a junii obierat, duo erant aspirantes scilicet baro de Goyck, et baro de Pellenbergh, et cum esset apparentia quod a nobilibus baro de Goyck alteri praeeligeretur, D. Gubernator pridie, post meridiem, ad se vocavit Praesidem Secreti consilii, eumque destinavit ad baronem de Goyck cum mandato, ut illi ex sua parte insinueret non convenire pro servitio Regis ut ille hac vice deputaretur, et se velle ut a prosecutione suae praetensionis desisteret. Desuper Baro de Goyck sine dilatione accessit Gubernatorem, eidemque respondit se non velle deputari quando indicaretur hoc vergere in praejudicium servitii Regis et

Gubernator multis blanditiis illi persuadere studuit ut a praetensione sua desisteret, et se hoc alibi recompensaturum, nunc convenire ob respectum D. Lisola, qui erat plenipotentarius Imperatoris in tractatu pacis etc., ut nunc deputaretur D. baro de Pellenbergh ; cujus voluntati Baro de Goyck acquievit, et hodie in congregatione Statuum comparuit ; et postquam abscessisset Cancellarius qui attulerat actam acceptationis super

f^o 207. — consensu nuper lato, quod quinta solutio militum hujus anni fieret ad ratam praecedentium solutionem, salvo quod tres residuae sic regularentur quod non excederent quotam subsidii hujus anni, abivimus et ego et D. Abbas Heylessemensis, et reliquimus nobiles sibi, ut procedere possent ad electionem sui deputati. Et antequam ad illam procederent, baro de Goyck retulit, de licentia D. Gubernatoris, id quod Praeses Secreti Concilii ipsi heri indicasset, et etiam quae inter ipsum et Gubernatorem accidissent ; hinc declaravit se desistere a prosecutione deputaturae, et relinquere dominis nobilibus suam libertatem procedendi ad electionem alterius deputati, et illis qui praesentes erant ac suum suffragium sibi addixerant gratias egit ; et tribus litteras suas quibus suffragium suum signaverant restituit, et reliquas epistolas Graffiario consignavit, et sic e congregatione discessit. Primo quaesitum fuit utrum hujus relationis factae teneretur nota in registro, et magna pro et contra desuper facta fuit altercatio. Deinde secundarius Graffiarus missus fuit a D. de Goyck, et rogatus, ex parte nobilium, utrum si in deputatum eligeretur electionem acceptaret, an vero absolute renuntiaret. hic responsum scripto misit, et primo quid illi cum D. Gubernatore accidisset narravit, deinde dixit se relinquere discretioni nobilium an se vellent eligere, et quod si eligerent, ipsis gratias acturus esset, et deputationem derelicturus. Hujus facta relatione nobilibus, magna rursum fuit quaestio quidnam agere deberent, et an ad electionem procedere possent nec ne ; tandem conclusum circumstantias electionis esse mutatas, et se non posse absentium suffragia qui D. de Goyck elegerant

f^o 207^{vo}. — annihilare, illis debere fieri relationem mutationis factae, ut alium distinctum a D. de Goyck, si vellent, possent eligere, et dies electionis dilata et constituta fuit in diem 21^{am} augusti sequentem, et congregatio duravit usque ad medium quartae pomeridianae, et tum simul circa quartam pranserunt in foro ad inter-signe Cygni, et ad medium sextae absolverunt et divisi fuerunt. Die sequenti deputati Statuum inchoarunt suas vacantias et

17 Augusti, iterum congregati sunt.

En marge : Septem novi consiliarii.

Interim D. Comes de Monterey gubernator, ad habendas pecunias creavit septem novos consiliarios Brabantiae scilicet D. D. van Veen ²⁶⁵), Vekemans ²⁶⁶), Domies ²⁶⁷), de Potter ²⁶⁸), Herselles ²⁶⁹), van Dyck ²⁷⁰) et Caverson ²⁷¹) ; et fama ferebat quod dedissent summam 150 aut 200 millium florenorum, et ex mandato Gubernatoris, ego per graffiarium Bouton cum aliis condeputatis evocatus sum in diem 17 hujus, pro recipiendo illorum juramento, et inventum fuit quod in litteris patentibus illorum habebatur, inter

²⁶⁵) Van Veen (Jean-Ernest) avocat, garde des monnaies de Sa Majesté à Bruxelles, fut nommé conseiller ordinaire surnuméraire le 3 août 1673 (création d'une troisième chambre par le comte de Monterey) moyennant un donatif de vingt six mille deux cents florins. Il mourut le 20 septembre 1705 (GAILLARD, o. c., t. III, p. 363).

²⁶⁶) Vekemans (Jean) chevalier, seigneur de Bodeghem, ancien bourgmestre d'Anvers nommé conseiller ordinaire surnuméraire le 3 août 1673 (*ibid.*).

²⁶⁷) Domis (François), avocat, nommé conseiller et avocat fiscal adjoint le 3 août 1673, moyennant un donatif de vingt mille florins; décéda en 1676 (*ibid.*).

²⁶⁸) De Potter (Louis) avocat, nommé conseiller ordinaire le 3 août 1673, moyennant un donatif de seize mille florins; mourut en 1677 (*ibid.*).

²⁶⁹) De Herzelles (Guillaume-Philippe marquis de) baron de Werchin et de Liedekerke, seigneur de Facuez, Ittre, Sart, Virginal etc. naquit à Bruxelles. Echevin de cette ville en 1669, il fit partie, en qualité de conseiller ordinaire surnuméraire de la troisième chambre du Conseil de Brabant, établie par le comte de Monterey le 3 août 1673, il fut appelé à Madrid en 1688 pour siéger au conseil suprême des Pays-Bas et fut créé marquis par lettres patentes datées de cette ville le 6 octobre 1689. Nommé président du grand Conseil le 26 janvier 1690 et conseiller d'Etat six mois plus tard, il fut promu à la dignité de chancelier le 5 décembre suivant, en conservant les gages de conseiller d'Etat. Il mourut le 10 octobre 1698 etc... (*ibid.*, p. 342).

²⁷⁰) Van Dyck ou van den Dyck, avocat, gendre de L. de Potter, nommé conseiller ordinaire surnuméraire le 3 août 1673, moyennant un donatif de vingt et un mille florins; mourut en janvier 1690 (*ibid.*, p. 363).

²⁷¹) De Caverson (Jacques-François), seigneur de Witterzee, Assonville, maître général des monnaies de Sa Majesté et avocat, fut nommé conseiller surnuméraire le 3 août 1673, moyennant un donatif de vingt mille huit cent cinquante florins. Entré au conseil privé le 13 mai 1701, il revint au conseil de Brabant le 20 juillet en qualité de premier conseiller, président de la seconde chambre et remplaçant le chancelier pendant ses absences. Le 21 juillet 1706, il fut nommé conseiller maître des requêtes du conseil de l'Etat chargé, après la bataille de Ramillies du gouvernement des Pays-Bas. Le 22 mars 1713, à la suite de la révocation des membres du conseil d'Etat il entra au conseil de Brabant et mourut le 4 juillet de la même année (*ibid.*, p. 363-364).

alia, quod Rex dispensaret in clausula juramenti, se nihil dedisse pro optinendo statu consilarii, hinc ego cum aliis judicavi non esse in potestate D. D. deputatorum juramentum dictorum consiliariorum acceptare, qui jam ab hora in minori cubiculo expectaverant nostram resolutionem, et timentes a nobis obstaculum movendum ratione derogationis dictae clausulae, dederunt actam quam erant parati sub-signare quod nollent se jurare dicta clausula, sed

f° 208. — facturi essent simpliciter requisitum et solitum juramentum. Quo non obstante, deputati illis responderunt quod, stantibus talibus litteris patentibus, non essent qualificati ad recipiendum illorum juramentum, et quod hoc ipsum essent relaturi D. Gubernatori, quod et eadem hora fecerunt, et ego una cum D. barone de Dongelberge, et burgimagistro Bruxellensi ²⁷²), et graffiaro Bouton, accessimus D. Gubernatorem, et facta dictorum relatione, respondit quod curaret patentes litteras rescribi, quod dicta clausula, se inscio, et per abusum fuisset imposita, quod sciret nos non ignorare quod sine pecunia illa officia non conferret, sed propter necessitatem pecuniarum etc. nos dissimulare etc., et petivimus quatenus admissio dictorum consiliariorum posset differri in diem 19^{am} hujus, in quem erant convocati Status Generales, et annuit.

19 Augusti. *En marge* : Impostae.

Status Generales per Cancellarium conscripti sunt, et proposuit impostas pro medio anno, inchoandas prima decembris futuri.

En marge : 4000 flor.

Item petivit pro suppletionem currentis subsidii, ad solvendum militibus octo menses, quadringenta millia florenorum, cum anticipationem centum millium flor., etc., idque ideo quia ob transitus Gallorum multi pagi fuerant devastati, qui non potuerunt solvere suam quotam. Item fuit positum in deliberatione an praefati septem novi consilarii, deberent admitti ad juramentum an non, et desuper per sesqui horam altercatum fuit ; tandem pluralitas votorum illos ad juramentum admisit sub conditione ut fieret remonstrantia super abusibus in administrationem justitiae, etc., et juramentum praestiterunt.

En marge : Villeers.

Item D. Bouton, graffarius, mihi in particulari proposuit quod

²⁷²) Jean Cools, J. U. L. (BUTKENS, o. c., t. II, p. 466).

quidam religiosus Villariensis, nomine Laurent Dieu ²⁷³), pater monasterii Olivae, a Regina in Hispania esset nominatus abbas

f° 208^{vo}. — Villariensis, qui nunc agere inciperet contra praesentem abbatem Villariensem N. Moniot ²⁷⁴), ab anno nominatum a Comite de Monterey, gubernatore, et missum in possessione ; et rogabat an non indicarem convenire ut Status se jungerent moderno abbati Moniot contra praetensionem alterius N. Dieu, eo quod iste jam esset admissus in Statibus et esset membrum illius etc., item quod conventus Villariensis, et Vicarius generalis provinciae se junxissent dicto Moniot, et casu quo me jungere vellem, et Status inducerem, quod rem gratam praestarem D. Gubernatori ; respondi me judicare non convenire quod ego et alii abbates cause illius se jungerent, quod esset controversia inter Reginam et Gubernatorem, cui nos immiscere non deberemus, et insuper in nominatione D. Moniot intellexissem multa intercurrisse minus recta, et nominatim quod non fuisset inter tres a conventu electos, ea propter me resolvere non posse, nisi plenius de illius nominatione fuisset informatus. Ejusdem sentimentum fuerunt abbas Heylessemensis et baro de Dongelberge. Hinc D. Bouton conceptam requisitionem junctionis non proposuit Statibus.

20 Augusti, In dominica, ex occasione quod baro Maransaert referret quod aliqui ex consiliariis hesternis ipsi fuissent fassi quod pro suo conciliariatu dedissent pecunias, et quod non dubitabant Status hoc scire, imo mirati fuissent quod desuper nihil dictum fuisset, positum fuit in deliberatione an contra ipsos nunc agi non oppoteret juxta articulos Laeti Introitus, et concludere de inidoneitate ipsorum ad dictum officium ; et omnium votis conclusum fuit quod sic, excepto D. barone de Dongelberge, qui dictam donationem pecuniarum

f° 209. — justificare volebat, eo quod data, et a Gubernatore applicata fuisset in necessitates et sublevamen patriae. — Et insuper resolutum, ut haec resolutio non mutaretur et si quid interim accideret, absentes desuper convocarentur.

21 Augusti, Quaestio hesternae resumpta fuit, et domini perstite-

²⁷³) Laurent Dieux, mourut avant d'avoir pris possession (J. J. Vos, o. c., p. 199).

²⁷⁴) Thomas Moniot avait été élu mais Madrid refusa de confirmer cette nomination. Lorsqu'on forma une nouvelle liste de candidats Moniot obtint encore le plus grand nombre de voix ; néanmoins on lui préféra Lambert Straelen, qui mourut le 18 mars 1686 (*ibidem*).

runt, ut in Consilio Brabantiae ageretur contra septem novos constitutos consiliarios. Item lecta fuit apostilla D. Gubernatoris, super remonstrantiis factis de sigillo parvo imposito in concilio Brabantiae, et pluralitas votorum sustinuit ut in consensu impostarum propositarum apponeretur, pro conditione sine qua non, ut sigillum dictum aboleretur, cum additione ut si, sigillo amoto, D. Gubernator juxta primum articulum Laeti Introitus jure vellet experiri sibi jus competere dictum sigillum imponendi cum vellet, quod in judicio experiremur, etc.

En marge : Baro de Pellenbergh deputatus.

Item nobiles in suum deputatum ordinarium, loco D. baronis de Wemmel mortui, elegerunt D. Wissenkercke baronem de Pellenberge, idque ex recommendatione D. Gubernatoris, et omnes de secundo Statu praesentes interfuerunt simul in prandio in foro ad intersignè Cigni, excepto comite de Ursel, qui se absentavit ; ex primo Statu, ego cum D. Heylessemensi me junxi, et etiam interfuit D. Dilegemensis, cum graffiariis ; ex tertio Statu nullus convivio interfuit.

22 Augustus, Duo primi Status tulerunt consensum in impostis incipiendis 1^a decembris hujus anni et finiendis ultima maii 1674, sub conditione de qua hesterna die.

23 Augusti, Pro suppletionem subsidii currentis anni, ad

f^o 209^{vo}. — complendas solutiones militum, quae ex subsidio duorum vigesimorum nummorum fieri non poterant, eo quod plurimi pagi per transitus Gallorum et Hollandorum fuerant exhausti, et intuitu illius Gubernator permisisset decurtari 300 millia flor. ex subsidiis praecedentis et currentis anni, duo primi Status consenserunt, pro hoc anno,

En marge : tertius vigesimus nummus.

tertium vigesimum nummum et anticipationem centum millium flor., et quia erat impossibile continuare tam magna subsidia, resolutum etiam fuit ut desuper fieret remonstantia in Hispania, et inde peteretur auxilium, et simul ostenderetur qualiter privilegia patriae infringerentur, et fieret prosecutio commissionis baronis de Goyck propter quam a biennio fuerat in Hispania. Item resolutum quod monasteria quae tenentur libera ab impostis, intuitu paupertatis, non deberent solvere vigesimum nummum de domibus quas inhabitant.

24 Augusti, In die Sti Bartholomei, dictae duae opiniones coram Cancellario lectae et apertae sunt. Hesterna die, in Concilio Braban-

tiae lectum fuit decretum D. Gubernatoris ordinans ut D. Heymbeke, qui 12^a aprilis 1672 factus fuerat consiliarius in locum D. Marselaer, qui in hujus favorem resignaverat, pro medio anno in Concilio esset praesens, auscultans et tacens.

30 Augustus, Cancellarius attulit actam acceptationis super suppletione currentis subsidii, de qua 23^a augusti, et eadem hora abbas Heylissemensis, baro de Dongelberge et graffarius Bouton accesserunt D. Gubernatorem, nuntiantes Status non habere pecunias ad manum, et rogantes quatenus D. Gubernator vellet illas elargiri, quae pro instante militum solutione erat necessaria, et quod illas prima occasione refunderemus.

fo 210. — D. Gubernator noluit ad hoc nuntium auscultare, sed minatus fuit quod officiales ruralis patriae curaret conscribi, etc. Interim reliquit Statibus tempus deliberandi usque ad vesperam, et convocatis in Statibus qui ad manum erant, dicti D. D. deputati vesperi reversi sunt, et D. Gubernatori indicarunt quod Status circiter 50 millia flor. soluturi essent, dummodo differri posset solutio facienda pro conductione domorum Bruxellae, quas occupabant milites qui erant in praesidio; et rogabant quatenus D. Gubernator residuum supplere vellet; sed hic audire noluit, et contra Status excanduit. Et cum illi replicaretur quod acta acceptationis secum ferret, quod in eventum quo Status necessarias pecunias pro solutione militum invenire non possent, satisfacerent offerendo hypothecam quam consenserant, ut D. Gubernator desuper nummos levaret etc., magis excanduit, et dixit: « Diabolus auferat actam acceptationis, et illos qui illam petierunt », sicque discessit, et voluit ut acta acceptationis hodie per Cancellarium data redderetur, et civitatibus non communicaretur.

31 Augusti, Facta horum relatione in camera Statuum, consultum fuit dictos deputatos remittere ad Gubernatorem, utrum persisteret in hesterna resolutione, an vero dicta forte tantum fuissent ex passione, et nunc moderatior factus, aliter forte sentiret. Uti et contigit, et amplius nec minas intulit, nec se rurales officiales convocaturum dixit, sed addixit se residuum pecuniae necessariae pro solutione instante militum, ex suis pecuniis suppleturum.

fo 210^o. — In principio septembris deputati Statuum divisi sunt, et ceperunt vacantias.

25 Septembris, Gubernator, existens Antwerpiae, evocavit ad se deputatos Statuum cum graffario Bouton, et cum nulli Bruxellis adessent, praeter baronem de Pellenbergh, ivit ille cum D. Bou-

ton. Gubernator illico institit pro habendis pecuniis, solutioni militum necessariis, et voluit per patriam ruralem fieri anticipationem pro quarta vice nummi vigesimi, et fatebatur deputatos Statuum desuper resolvere non posse, interim non esse tempus observandi formalitates solitas, se debere habere pecunias. Desuper baro de Pellenbergh et graffiarius Bouton petierunt inducias usque diem crastinum, rogantes ne interim officiales ruralis patriae conscriberentur, et habito concilio cum episcopo Antwerpiensi et abbate Sti Michaelis, et baronibus de Hoboke etc., ac burgimagistro ²⁷⁵) ac pensionariis civitatis Antwerpiensis, resolverunt, ut graffiarius Bouton scriberet quarteriis ruralis patriae quaenam in aula apud gubernatorem tractarentur, et induceret pro facienda iterata anticipatione, sub conditione quod quarteriis solveretur interesse dimidii anni, et ubi civitates consensissent tertium vigesimum nummum pro hoc anno, quod quarteriis ruralis patriae refunderetur quartus vigesimus, vel ipsis serviret ad computum futuri subsidii.

En marge : Quartus vigesimus nummus.

Quarterium Antwerpiense consensit, et mediante receptore statuum Antwerpiae, nummos ad reditum levavit, idque sub diversis conditionibus in consensu illius expressis. Cum autem quarterium Bruxellense consensum negaret, Gubernator excanduit, et minabatur totum quarterium contere et exurere, et cum nostri deputati illum conarentur placare, scripsit litteras quarterio Bruxellensi, nisi infra bis 24 horas consensum inferrent aliter ipse provideret, hinc nimis adacti, officiales consensum intulerunt sicuti et aliorum quarteriorum.

8 Octobris, Horum in Camera Statuum fecit relationem D. graffiarius

f^o 211. — Bouton, petens ut ea quae per ipsum et alios praefatos acta fuissent vellemus ratificare. Respondi me hoc solum esse cum R. D. Heylessemensi, et non esse qualificados ad illa approbanda, quae indubie male acta fuerant.

En marge : Bellum.

15 Octobris, In dominica, D. Gubernator in aula declaravit esse bellum inter Hispanos et Gallos, et absque alia publicatione datum esse mandatum officariis militum exercendi hostilitatem in Gallos.

6 Novembris, D. Gubernator, inconsultis Statibus, mandavit

²⁷⁵) Il y en avait deux: Floris van Verchem et Jean-Baptiste Greyns (BUTKENS, o. c., t. II, p. 529).

quarteriis seu maieriis oppidorum Lovaniensis et Bruxellensis dare pabulum equitibus pro uno mense, et Bruxellis ascendebant ad 1200 rationes, singulam ad 10 flor., et ordinavit D. thesaurario Statuum, van Assche, ut illas ab officialibus quarterii Bruxellensis reciperet, et quarteriis addixit quod servirent ad computum futurum subsidii. Item ordinavit magistratui Bruxellensi, ut militibus existentibus Bruxellae, loco hospitii et service, per diem solverentur equitibus duo stuferi, et haec solutio ipsis serviret in decurtationem currentis subsidii. Desuper requisivit Magistratus aggregationem deputatorum Statuum, qui cum desuperolvere non possent impetrarunt a Gubernatore epistolam ad Status, quae 16 ipsis tradita fuit, qua ordinabatur Statibus ut dictam solutionem acceptarent in solutionem super subsidio etc., et cum rursus instaret magistratus ut declarare vellent deputati quod dictae ordinationi acquiescerent, responderunt se hoc relatuos in prima generali Statuum congregatione.

22 Novembris, Convocati duo primi Status per Cancellarium ad audiendam novam instantiam pro consensu in impostis, etc., hodie mane datae fuerunt litterae convocationis deputatis

f^o 211^{vo}. — civitatum, qui antea non fuerant conscripti, et Cancellarius petiit subsidium novum 1600^m flor. Et deinde fecit novam instantiam ut duo primi Status vellent consentire in impostis, et deserere conditionem amotionis parvi sigilli, de quo in nupero consensu de 21 augusti 1673. Resolutum ut adiretur D. Gubernator, et indicaretur Status non fuisse conscriptos ad audiendam novam propositionem subsidii. Gubernator ordinavit ut Status debite conscriberentur, quod et factum fuit. Item resolutum ut fieret remonstrantia D. Gubernatori super facta nova instantia, quae aliud motivum deserendae conditionis non adferebat quam quod esset contra regulamentum Archiducis Alberti, res in jure tractandas, immiscere conditionibus consensuum etc. et ostenderetur juxta Laetum Introitum poni posse conditiones in consensibus bene visas, consensum in impostis etiam esse liberum etc.

23 Novembris, Dicta remonstrantia ex parte compilata fuit. Item resolutum ut pensio 300 flor., addicta Roberto Tax anno 1660, 16^a januarii, etc., amplius ei non solveretur, quia in Finantiis illam admittere in computibus Statuum nolebant, etc. Item ut apud D. Gubernatorem instaretur quatenus permetteret Statibus cursum justitiae contra septem novos consiliarios creatos, etc., et etiam fieret instantia apud Cancellarium, eique diceretur, in eventum quo requestam nostram non communicaret Consilio, quod conquereremur etiam

apud Reginam de denegata justitia. Deputati sunt abbas Diligemensis baro de Pellenbergh

f^o 212. — et pensionarius Antwerpiensis, ac retulerunt

24 Novembris, Gubernatorem dixisse septem consiliarios ²⁷⁶⁾ non peccasse, esse factum suum non illorum, et quod si Status vellent ponere in Steenporta. — Replicarunt Status consiliarios peccasse male jurando, et juxta Laetum Introitum esse incapaces isti officio, etc. ; quod si D. Gubernator in judicio se illis vellet jungere hoc facere, posset facere etc. — Respondit D. Gubernator necessitatem habendi pecunias coegisse reginam, et ipsum ad multiplicandos consiliarios reginam hoc ipsum fecisse in Hispania et omnibus regnis suis.

29 Novembris, *En marge* : « Subsidie van 1600^m fl. ».

Juxta resolutionem D. Gubernatoris de 22^a novembris praecedentis, Status in hodiernum diem de novo convocati, Cancellarius reiteravit propositionem suam subsidii 1600^m flor. Item lectae fuerunt opiniones et consensus trium Civitatum super tertio 20^{mo} nummo hujus anni de quo supra 23^a augusti, et Antwerpienses et Bruxellenses, loco illius, consenserunt 34^m flor., et hi, loco 20^{mi}, tantum voluerunt Bruxellis solvi 40^m ; et isti noluerunt ut Antwerpienses solverent 20^m nummum de redditibus quos habebant super Status, et Lovanienses consenserunt ea conditione ut nihil solverent, eo quod plus solvisset praesidiariis suis militibus quam eorum quota importaret. Item lecta fuit longa epistola D. Gubernatoris, suadens ut conditionem appositam consensui impostarum, in hac circumstantia temporis, vellemus amovere, vel saltem suspendere, spondens se data publica pace allaboraturum ut infractiones privilegiorum repararentur, etc., nunc autem esse impossibile omnia restaurare, et nullatenus convenire ut impostae non solverentur, etc. Item lecta fuit alia epistola D. Gubernatoris, qua

f^o 212^{vo}. — indicabat se resolvere officium marchgraeff Antwerpiae conferre alicui nobili gratis, modo Status vellent refundere nummos D. Smidts, quos pro superviventia officii in Hispania solverat ; quod in conservationem privilegiorum credebatur Status facturos juxta praesentationem ab aliquot annis Regi factam, sic tamen volebat a Statibus illos refundi, ut non minueretur ex illa occasione summa subsidii.

²⁷⁶⁾ Il s'agit de la création d'une troisième chambre par de Monterey, qui ne fit qu'augmenter le nombre des conseillers.

1 Decembris. In generali congregatione Statuum resolutum fuit ut summa 4000 pataconum, quae D. Smidts pro dicto officio in Hispania solverat, ex parte Statuum illi refunderentur, sub conditione quod ille cui D. Gubernator officium illud de Marchgraeff Antwerpiae conferret, pararet Statibus quod pro illo officio nihil dedisset aut promississet, nec daturus esset, nec Regi, nec Gubernatori nec alteri; quod et D. Gubernator acceptavit, et eodem die

En marge : Goyck Marchgraeff.

declaravit se dictum officium contulisse D. baroni de Goyck.

3-4 et 5 Decembris. Disceptatum fuit an conditio appositae consensui impostarum, quod parvum sigillum deberet cassari et aboleri, deberet hac vice adhuc dissimulari, an in ea persisti, abbatibus sustentibus quod in hac temporis circumstantia non deberet tam pertinaciter in illa insisti, et e contra nobilibus persistentibus in conditione appositae Conventum fuit, ut ostenderetur Gubernatori, juxta Laetum Introitum posse in consensibus impostarum tales conditiones apponi quales iudicaret convenire, et esto apposito parvi sigilli in Concilio Brabantiae non esset contra privilegia, equidem esset gravamen, citra autem consensum Statuum nullum posse Brabantinis imponi gravamen et ea propter Status non posse appositam conditionem derelinquere, sed ob hanc

f° 213. — circumstantiam temporis illam tenere in suspenso, sub conditione quod D. Gubernator daret actam non praejudicii, et sub spe quod penitus curaret examinari remonstrantias desuper exhibitas, et ante terminum impostarum finiendum parvum sigillum deponeret, vel saltem in suspenso illud teneret, et jus regium in jure experiretur, etc. Item lecta fuit epistola Gubernatoris, requirentis ut vellemus equitibus solvere, seu procurare pabulum pro equis, et quod cederet in diminutionem quotae futuri subsidii. Et quia jam Gubernator hoc ruralibus officiariis mandaverat, et commissarium constituerat, rogavit ut ex parte Statuum etiam commissarium jungeremus, ut cum majori economia illa distributio pabulorum fieret.

12 Decembris, In generali Statuum congregatione resolutum fuit, ut Status dictae collectioni pabulorum se non immiscerent, sed tantum, data occasione, instarent ut commissarius ex parte D. Gubernatoris constitutus referret Statibus quid ea in re egisset.

13 Decembris, Ego Bruxella discessi Parchum, quia D. Gubernator eo erat venturus.

f° 214. Anno 1674.

9 Januarii. Reversus sum ad congregationem Statuum et una

cum aliis deputatis accessi D. Gubernatorem, rationem reddituri super constitutione diarii Statuum.

12 Januarii. *En marge* : « Consent Imposten ».

Lectae sunt opiniones civitatum inferentium consensum super impostis inchoandis 1^a decembris 1673 et finiendis ultima maii 1674.

13 Januarii. *En marge* : « Subsidie 600^m fl. ».

Duo primi Status super propositione subsidii de 1600^m flor., facta 22^a et 29^a novembris, consenserunt subsidium 600^m flor., levandum pede seu via impostarum. Quomodo aula et majores civitates hoc acceptabunt tempus docebit. Ego volebam levari mediatim via impostarum et mediatim via praecariarum.

18 Januarii, Coram Cancellario dictus consensus et opinio aperta et lecta fuit, et ad instantiam baronis de Dongelberge, abbates consenserunt sine consequentia, quia in dicto pede valde alleviabantur, quod quotam suam in isto subsidio duplicarent.

22 Januarii, Cancellarius attulit actam acceptationis super consensu civitatum in impostis ; item actam acceptationis super consensu duorum primorum Statuum subsidii 600^m flor., de quo supra 13^a hujus.

8 Februarii, Fui cum aliis condeputatis in aula rogaturi suam Excellentiam, quatenus patriam ruralem excusare vellet a prestatione pabulorum duorum mensium ultra quatuor jam per officiales accordatorum, et noluit nos audire, misit ad nos D. Courcol, qui diceret se ob necessitatem militum non posse hoc facere, etc.

20 Aprilis, Cancellarius ex parte Regis petiit impostas inchoandas 1^a junii 1674. Item archiepiscopus Mechliniensis, post discessum secundi et tertii Status, exhibuit epistolam Gubernatoris inscriptam

f^o 214^{vo}. — primo Statui, ordonantis eidem ut quia terminus unius ex deputatis jam expirasset, procederetur ad electionem unius novi deputati ; et ex requisitione omnium de 1^o Statu qui non erant de ordine Praemonstratensi, etiam ordinabat ut eligeretur unus novus ex alio ordine quam Praemonstratensi, quia unus ex isto ordine remansurus erat, et sic in posterum ageretur, ut semper, unus esset ex ordine Praemonstratensi, et unus ex alio ordine.

En marge : Hoc mandatum revocatum est Anno 1677^o, infra notatum in mense octobri anni 1677, juxta epistolam hic junctam cujus copiam petii, et notandum quod periculoso hoc tempore omnes, excepto episcopo Antwerpiensi, qui non erant de ordine Praemonstratensi ad hanc congregationem convenerint.

En marge : « Dobbel jaren renten aen N. N. ».

Item tres Status resolverunt, ut graffarii et receptores Statuum et alii, qui erant soliti ex deputatis, possent trahere duplices canones suorum redituum usque ad concurrentiam 400 flor. annue. Item marchioni de Lede accorderunt unum extraordinarium annum suorum redituum, in quarterio Antwerpiensi ascendentium ad 875 flor.

21 Aprilis, Duo primi Status consenserunt in impostas inchoandas 1^a junii, sub eisdem conditionibus prout in consensu elapsi medii anni, notantur quoad abolitionem parvi sigilli impositi in Concilio Brabantiae etc., de qua in decembri elapso. Item resolverunt scribendum Reginae super appositione dicti sigilli, et denegatione justitiae super erectione septem novorum conciliariorum, de qua 23^a novembris praeterita, etc.

23 Aprilis, Dicta opinio coram Cancellario lecta et aperta fuit. Item civitates intulerunt suum consensum in subsidio 600^m flor. per duos primos Status accordato, de quo 29^a novembris et 13^a et 18^a januarii praeteritis, sed Antwerpienses et Bruxellenses conditionerunt quod singuli in dicto subsidio tantum solverent 100^m flor.

f^o 215. — D. baro de Dongelberge, agens pridie cum sua Excellentia, indicabat eidem commotionem esse in primo Statu propter epistolam illi inscriptam, de qua 20^a aprilis, et mihi indicavit Excellentiam suam illi dixisse, quod nihil primo Statui ordonasset, sed tantum indicasset esse convenientiam quod, inter deputatos primi Status essent duo diversorum ordinum.

25 Aprilis, R. abbas Heylessemensis, nomine praelatorum ordinis Praemonstratensis, exhibuit parvum memoriale super subjecto dictae epistolae, et indicabat inde scisma oriri in primo Statu, qui semper fuerant pacifici, etc., et in libello referebat se ad deductionem junctam, quae tamen parata necdum erat. Et sua Excellentia illi respondit se requisivisse primum Statum ut procederent ad novam electionem, eo quod intellexisset abbatem Parchensem amplius non velle manere in deputatione, etc.

2 Maii, quae erat dies indicta a praelatis qui non erant ordinis Praemonstratensis, ad procedendum ad electionem novi deputati, primo hac occasione Cancellarius attulit actam acceptationis super consensu duorum primorum Statuum in impostis, de quo 21^a aprilis. Item attulit actam acceptationis super consensu trium civitatum in subsidio 600^m flor., de quo 23^a aprilis. Deinde abscedentibus nobilibus de 2^o Statu, et deputatis civitatum, Archiepiscopus exhibuit epistolam D. Gubernatoris, inscriptam praelatis repraesentantibus primum Statum Brabantiae, cui inclusa erat requesta, nomine abbatum

Praemonstratensium, 25^a aprilis praesentata suae Excellentiae per R. Abbatem Heylessemensem, cui inscripta erat apostilla, reprehensiva libelli, quod diceret ordonationem D. Gubernatoris in epistola praefata prejudicare servitio Regis, cum tamen nullam illius darent rationem, et ordinabat ut primus Status sine dilatione procederet ad electionem

f° 215^{vo}. — deputati unius qui non esset ordinis Praemonstratensis ;

En marge : Nota. Postmodum anno 1677, ob remonstrantias factas, mandatum Gubernatoris fuisse revocatum, sine tamen praepudio ulterioris resolutionis super remonstrantia quam haberent exhibendam illi qui essent de ordine Praemonstratensi. Desuper inter albos et nigros aliqua altercatio fuit exorta, et Archiepiscopus exclamabat in libello, per R. Heylessemensem exhibito, contineri injuriosa contra ipsos, etc., et volebat, cum suis nigris, qui erant, Vladderbacensis, Villariensis et Gertrudanus, sine dilatione procedere ad electionem novi deputati. Praemonstratensis, qui erant Grimbergensis, Parchensis, Heylessemensis et Diligemensis, indicabant antequam procederetur ad electionem dictam apostillam communicandam esse absentibus quia jam suffragium dederunt scripto, et forte mutarent si copiam dictae apostillae haberent. Et ego addebam, quantum ad me spectabat, non velle differri novam electionem, sed hodie optare a mea deputatione liberari. Archiepiscopus dicebat D. Gubernatorem illum exhortatum ut cum suis firmus maneret, et procederet non obstante reclamatione Praemonstratensium, et D. de Mottes hoc ipsum heri illi repetiisse. Et quia sciebamus, quod D. Gubernator ordonasset Praesidi Concilii Secreti, ut induceret abbatem Grimbergensem, qui pridie Bruxellam advenerat, quatenus suum suffragium daret Abbati Vladderbacensi, et Archiepiscopus pridie, ex parte D. Gubernatoris, persuaserat D. abbati Diligemensi, et insuper D. Gubernator expresse Antwerpia evocaverat primum burgimagistrum van Berchem ut induceret

f° 216. — abbatem Diligensem ut suum suffragium daret D. Abbati Vladderbacensi, Cum haeretur qualiter electio fieret, et qualiter scedae conscriberentur, surrexi ego et dixi non est hic multum scribendum vel votum celandum et eligendum. D. Gubernator vult eligi D. Abbatem Vladderbacensem, admittamus illum, et illum ego nomino, non propter sua merita et talenta, sed quia D. Gubernator illum vult haberi deputatum ; Meae edictioni alii abbates Praemonstratenses accesserunt. Ante Congregationem D. Gubernator mi-

serat D. Lovigny, magistrum exercitus, ad abbatem Gertrudanum ut etiam illum induceret ad obsequendum voluntati D. Gubernatoris, et putans advenisse D. abbatem Tongerloensem, qui tamen non venerat sed quidam pastor Tongerloensis ex Duffel, etiam illum accessit, in persona deceptus, ut induceret, etc. Deinde intellexi a fratre meo Praeside, D. Gubernatorem ei dixisse maximum meum crimen esse quod haberem nimium intellectum, « trop d'esprit » ; et petebat uter esset senior, ego an frater. — Memoria.

5 Maii, Ex rogatu D. D. Deputatorum interfui congregationi in sabbato, absente R. Vladderbacensi, et concepta est acta danda D. Parys, receptori Statuum Antwerpiae ad reducendos redditus quos posset ad nummum vigesimum, in quem finem applicare posset nummos quos habebat in capsula sua, et etiam levare 6 aut 7 millia florenorum etc. Haec non fidebant D. Vlierbecano.

7 Maii, Deputati Statuum vocati a Gubernatore, moniti sunt pro solvendis stipendiis militum, illi autem

f^o 216^{vo}. — studuerunt compilare computum et statum subsidii, quem promiserunt exhibere.

8 Maii, Rursum vocati a Gubernatore, exhibuerunt statum subsidii, qualiter patria ruralis quotam suam totaliter solvisset, quantum Antwerpia et Bruxella de quota sua diminuerent, quantum restaret, et, juxta consensum datum in subsidio, et acta acceptationis subsecuta, tantum possent restantem summam dispensare juxta datos consensus. Ad haec excaudit D. Gubernator, rogans an nunc tempus esset exhibendi statum et computum, absque pecunia, an per tales computus posset cohiberi rex Galliae quo minus prodiret in campum ? Et addebat plures fuisse suspensos qui tantum non fuissent meriti quam Status Brabantiae, unum esse infirmum, alterum sui cerebri, alterum magni studii etc. et illis desertis, acturum cum civitatibus, nobilium bona se bene reperturum, sicuti et refugia abbatum, Status Brabantiae illi debere 250^m flor., se illa recepturum et habiturum vel illis invitis ; et volebat sibi reddi livrantias solutionis militum, quod absque concursu Statuum illis satisfaceret, et cum D. D. deputati replicarent posse convocari Status, et illis proponi pro facienda anticipatione solutionis addictae, noluit auscultare. Reponebat quod Status facerent quae vellent, et quod his diebus requisivisset ut refunderent nummos capitales reddituum confiscatorum, et

f^o 217. — noluissent, et interim dedissent ordinem alios redditus dequitandi. Se habiturum suum turnum, et facturum quod sibi lube-

bit. Et cum hac extravaganti comminatione D. D. Deputati disceserunt, et R. Heylessemensis, illico me convenit et hoc retulit. Item hac die, ante meridiem D. Bultie ²⁷⁷⁾ in camera D. D. Deputatorum praestitit juramentum tanquam consiliarius Concilii Brabantiae, admissus in locum defuncti D. Spallart ²⁷⁸⁾, cujus officium datum fuerat filiae secretarii militiae, Iturietta, — Memoria.

10 Maii, Reversus sum Bruxella Parchum, et me ulterius non immiscui publicis negotiis.

13 Decembris, Instante rogatus, veni Bruxellam Parcho ad congregationem Statuum, quia duo primi Status accordaverant impostas, cum conditione sine qua non abolitionis parvi sigilli in Concilio Brabantiae impositi etc., et voluit gubernator conferentiam desuper resumī, etc. et fui ad illam iterum deputatus, et interfui 14^a et 15^a decembris. Deinde mota fuit difficultas, contra Cancellarium, qui recusabat admittere N. N. portarium concilii Brabantiae ad proseguendam viam justitiae, sub pretextu, quod Gubernator hoc illi prohibuisset; et desuper praesentarunt Status requestam Concilio Brabantiae contra Cancellarium, et missus fuit Graffiarius ut personam in Concilio, causae merita exponeret, quod et fecit, et re deinde delata ad Gubernatorem, respondit, quod cursum justitiae impedire nollet etc. et desuper scripsit epistolam Concilio Brabantiae etc.

f^o 218. — Anno 1675.

En marge : Mors van Assche.

12^a Septembris obiit D. van Assche, thesaurarius Statuum Brabantiae. Requiescat in pace.

En marge : Continuatio deputationis baroni de Dongelberge.

In initio augusti D. baro de Dongelberge est continuatus pro quadriennio in deputatione secundi Status Brabantiae.

A 13 decembris 1674 usque diem sequentem non interfui Statibus.

7 Septembris. Facta fuit instantia pro augmentatione subsidii hoc anno accordati ad 600^m flor. levandi, pede impostarum, et Antwerpienses consenserant sub conditione quod illorum quota non excederet 52^m fl., Bruxellenses quod illorum quota non excederet

²⁷⁷⁾ Bulteel (Philippe-Albert), seigneur de Diependael, licencié en droit, conseiller ordinaire le 25 avril 1674 en remplacement d'Espallart, mourut en 1690 (GAILLARD, o. c., t. III, p. 364).

²⁷⁸⁾ Espallart (Philippe-Charles) conseiller à titre étranger le 6 novembre 1666 en remplacement de Cuyermans, mourut le premier mars 1674 (*Ibid.*, p. 362).

80^m fl., Lovanienses quod illorum quota non excederet 6^m fl. Resolutum fuit respondendum Gubernatori quod praestaret petere novum subsidium pro sequenti anno, quam petere augmentum prioris subsidii, etc. Resolutum ut pro prima congregatione generali Statuum omnes convocarentur ad deliberandum super collatione officii thesaurarii, et notanter an conferendum an supprimendum, quia Gubernator scripserat Statibus, ne dictum officium conferretur absque illius praeadvertentia et consensu.

22 Octobris, Status ex parte Regis conscripti, Cancellarius proposuit novum subsidium 900^m flor., cui simul influerent impostae.

23 Octobris, Deliberatum fuit super requesta heredum thesaurarii van Assche, petentium ne officium thesaurarii conferretur in eorum praejudicium, et petebant exonerari a debitis quae D. Assche contraxerat nomine Statuum, et in eventum quo Status vellent dictum officium conferre alicui heredum, quod de debitis istis responderent etc. Omnes judicabant convenire ut heredes exonerarentur, sed quo modo dubitabant, resolverunt desuper deliberandum quando vidissent residuos computus D. van Assche, et intellexissent resolutionem civitatum super conferendo vel supprimendo officio thesaurarii etc.

f^o 218^{vo}. — 24 Octobris, Per duos primos Status resolutum ut collatio officii thesaurarii ad tempus differretur, et interim probaretur an D. D. deputati Statuum, hoc facere non possent quod thesaurario incumbit, idque ideo, quia jam a centum annis quotiescumque officium thesaurarii contigit vacare, semper dubitatum fuit an non conveniret suppressere; quod nunc magis examinandum erat, quia videbatur aula collationi istius officii se immiscere velle etc.

En marge : Officium thesaurarii.

25 Octobris, Altercatum fuit, inter duos primos Status an dictum officium suppressi posset, et an inde praejudicium non fieret heredibus van Assche. Tandem primus Status evicit hoc tentandum esse, et faciendam aliquam instructionem secundum quam a deputatis Statuum id praticari posset, et ad eam concinendam deputati fuerunt abbas Parchensis et baro de Goyck cum pensionario Antwerpiensi.

26 Octobris, Abbas Parchensis et baro de Goyck, absque interventione pensionarii Antwerpiensis, illam instructionem conceperunt, tribus Statibus praelegerunt et relegerunt, et omnibus placuit, et resolutum ut deputati Statuum, postquam resolutio Magistratuum desuper allata esset, secundum illum procederent, unum diem in sep-

timana isti operi functionis quondam thesaurarii impenderent, id-que absque aliqua speciali remuneratione, sed sub consueto illorum stipendio. Deputati Magistratum omnium praemissorum petierunt copiam, pro facienda relatione suis principalibus. Post meridiem deliberatum fuit super propositione per Cancellarium facta 22 octobris, in qua pro, « bede imposten en subsidie » petebantur 900^m flor. Omnium

f^o 219. — votis resolutum non posse accordari novum subsidium antequam praecedens esset conclusum, ea propter remonstrandum suae Excellentiae qualiter haec propositio deberet differri, et adlaborari pro conclusione praecedentis subsidii quia Antwerpiae instantia fiebat ut in praecedenti subsidio suam quotam augmentarent, et equarent quotae Bruxellensi. Quia vero terminus impostarum sequenti mense expirabat, deliberatum fuit ut duo primi Status, ad lucrandum tempus, non possent accordare impostas, et dividere a petito subsidio. Aliqui ex secundo Statu hoc suadebant, ego illis restiti, et dixi fieri non posse, et si dicta propositio, uti jacet, civitatibus proponeretur, loco accelerationis consensus impostarum, indubie illum protergandum et sustinui faciendam esse novam propositionem et petitionem impostarum, hoc intra paucos dies fieri posse, nec ideo opus esse nova Statuum conscriptione. Resolutum ut desuper consultaretur D. Praeses Secreti Concilii, ad quem accedendum deputati sunt mecum D. baro de Goyck et graffarius Bouton, Et ille fuit ejusdem sentimentis sicuti ego sustinueram.

f^o 220. — Anno 1676.

Petitum fuit ab aula a Statibus subsidium nongentorum millium florenorum, Duo Status consenserunt 800^m levandum, mediatim via praecariarum, et mediatim via impostarum, sub conditione quod oppida et loca ab exercitibus devastata moderationem acciperent in toto vel in parte, juxta discretionem Statuum, interveniente uno Ministro regio. In Augusto Civitates intulerunt suas opiniones super dicto subsidio, Lovanienses accordarunt sub conditione quod tantum solverent 8000 flor., et defalcarent quae hactenus exposuissent in hospitalationibus militum; et moderatio taxarum in quarterio Lovaniensi, fieret per suum Magistratum. Bruxellenses accordarunt dictum subsidium sub conditione quod tantum solverent 100 millia florenorum. Antwerpienses etiam accordarunt, sub conditione quod tantum solverent 68 millia florenorum, sustinentes istam summam esse suam quotam in illo subsidio, ubi tamen Magistratus accordaverat 80 millia flor.

f^o 220^{vo}. — Anno 1676.

18 Novembris, Cancellarius proposuit petitionem novi subsidii 900 millium flor. Item allatae fuerunt opiniones civitatum super impostis inchoandis prima decembris 1676.

19 Novembris, Consultatum fuit quid faciendum cum D. Vanden Velde, receptore Statuum in quarterio Bruxellensi, et resolutum serio admonendum, et si se non emendaverit, Status conscribendos ad resolvendum an surceandus, aut deponendus, aut aliter ejus officio providendum.

20 Novembris, Praelecta fuit in Statibus epistola Regis Hispaniarum consolantis Status super malo successu belli, et adhortantis ad perseverantiam in fidelitate sui servitii, etc. Item post meridiem deliberatum fuit utrum officium thesaurarii esset conferendum an suppressendum, et pluralitas suffragiorum, me renitente, conclusit conferendum esse.

f^o 221. — Anno 1677.

Pro 12 Januarii Status convocati fuerunt per Cancellarium pro audienda nova instantia super subsidio 900^m fl., petito 18^a novembris praeteriti, quod accordatum non fuit, propter infractionem nonnullorum privilegiorum, quorum reintegratio querebatur. Item Graf-farius conscripsit Status ad conferendum officium thesaurarii Statuum.

14 Januarii, Desuper ceptum deliberari, concurrebant D. D. receptor van Parys, de Pleines, vander Stegen et Franciscus Fierlants, et quia heredes D. van Assche a Gubernatore impetrarant epistolam ne provideretur officio thesaurarii priusquam ipsis provisum esset de exoneratione, qua tenebantur ex levatis nummis a D. van Assche pro Statibus, post aliquot dierum altercationem, resolutum fuit ut dicti heredes per futurum thesaurarium exonerarentur; Status nobilium convenerat ad conferendum officium thesaurarii D. de Pleines, sed quia sufficiens non erat ad exonerandos heredes van Assche, ipse D. de Pleines disposuerat Statum nobilium, mediante D. barone de Dongelberge, qui agens illius in omnibus fuerat, ut officium thesaurarii conferretur D. van Parys, et hujus quaestura Antwerpiensis conferretur ipsi de Pleines, et simul exonerarent heredes D. van Assche. Desuper per aliquot dies altercatum fuit inter praelatos et nobiles, quia praelati volebant se obligare ad conferendum officium quaesturae Antwerpiensis ipsi de Pleines, in eventum quo D. Parys eligeretur in thesaurarium, sed volebant istam quaesturam relinqui apertam, et Status in tempore suo convocati, pro

collatione dictae quaesturae, hic herebant Nobiles, omni modo cupientes providere D. de Pleines. Tandem vigentibus praelatis, quod cum decore

f° 221^{vo}. — obligare non possent pro D. de Pleines, sed quod nobiles possent et deberent fidere in discretionem praelatorum.

21 Januarii. *En marge* : « Tresorier ».

Fere omnium votis primi et secundi Status electus est, circa horam nonam vespertinam, in thesaurarium Statuum D. van Parys, sub iisdem emolumentis et stipendio quo defunctus van Assche illud deservierat, sub conditione quod pro medietate exonerare deberet heredes van Assche, et pro altera medietate exoneraret futurus quaestor quarterii Antwerpiensis.

22 Januarii, Ceptum deliberari super petito subsidio 900^m florenorum, et abbates tantum volebant accordari 600^m, nobiles vero volebant accordari 800^m flor. Post meridiem desuper iterum congregati, perstiterunt ut ante.

23 Januarii. *En marge* : « Subsidie 600^m fl. ».

Iterum desuper habita deliberatione, nobiles convenerunt cum abbatibus, et consenserunt pro subsidio, 600^m flor. cum anticipatione 100^m flor., sub conditione quod rurales impossibilitati non contribuerent etc., levandum semi via praecariarum et semi via impostarum.

f° 222. — Anno 1677.

14 Junii. *En marge* : « Subsidie 150^m patacons ».

Cancellarius, nomine D. Gubernatoris, petiit novum extraordinarium subsidium 150 millium pataconum propter summam patriae necessitatem, et militum indigentiam etc.

En marge : « Geaccordeert 120^m gl. op t' segelken ».

Resolutum diebus sequentibus per duos primos Status, propter nimiam ruralis patriae devastationem, pecuniam in illa inveniri non posse, civitates etiam non contributuras, quia praecedens subsidium necdum esset plene conclusum, tantum superesse unum medium scilicet gravandi parvum sigillum in Concilio Brabantiae, jam ante gravatum. Illud parvum sigillum, ultra reditus desuper hypothecatos annue habere boni circa 4000 flor., posse onus sigilli ad tertiam partem augmentari, et tunc annue boni futurum ad 6000 flor. desuper ad nummum 20 posse levari 120 millia flor., et quia dubitabatur num Status desuper possent invenire pecunias, illam hypothecam presentandam esse Gubernatori, ut illa uteretur, si posset, et petendos commissarios, ad desuper tractandum, et ubi simul convenire pos-

sent, Status ex nunc, in illud subsidium 120 millium flor. consentirent, sub conditionibus nonnullis clausulandis etc.

15 Octobris, Cancellarius, nomine D. Gubernatoris, petiit continuationem impostarum pro prima decembris. Item petiit subsidium 900^m florenorum. Item lecta fuit epistola Regis responsiva ad quærimonias Statuum, quæ amara erat, et aiebat se remedium allaturum ubi tempus advenisset respirandi. Hinc resolutum replicandum esse, et insistendum pro responso magis favorabili

16 Octobris, 2 primi Status consenserunt in impostas inchoandas prima decembris futuri. Secundus Status nobilium ab aliquot mensibus fuerat occupatus pro eligendo novo deputato, quia terminus D. baronis de Pellenbergh expirabat, et hic instabat pro sui continuatione,

f^o 222^{vo}. — in quem finem multorum absentium suffragia obtinuerat scripto, et quia nobiles inter se discordes erant, aulam seu Gubernatorem applicarunt, qui scripsit litteras, secundo Statui, quibus significabat se velle deputatos nobilium discontinuari seu non velle continuari ; item se non velle ut absentes scripto votarent pro electione deputati, et mandabat ne suffragia scripta a barone de Pellenbergh optenta aperirentur.

En marge : Deputatio D. Marselaer.

Contra primam resolutionem quod deputatus non posset continuari nobiles pluralitate votorum se opposuerunt, et unam remonstrantiam Gubernatori exhibuerunt pro servanda libertate sive continuandi sive discontinuandi, sed D. Gubernator perstitit in discontinuatione, hinc pluralitate votorum electus est in deputatum D. Marselaer, baro de Pierck.

17 Octobris, Relata fuit difficultas, mota per D. Hubens ²⁷⁹⁾,

²⁷⁹⁾ Heubens (Jean-Baptiste). Ce conseiller, fils d'un bourgeois de Gand, naquit dans une barque, sur l'Escaut, au cours d'un voyage entrepris par ses parents et fut baptisé à Anvers. Après avoir exercé la profession d'avocat à Gand, il fut nommé conseiller de Flandre le 16 janvier 1676, en échange d'un donatif de vingt mille florins, mais le conseil de justice de cette province refusa de le recevoir sous prétexte que, par son baptême à Anvers, il était devenu Brabançon. Heubens obtint le 3 mai de la même année une patente de conseiller ordinaire surnuméraire au conseil de Brabant, en remplacement de Domis. Les Etats du duché s'opposèrent à sa nomination en alléguant que Heubens avait offert au conseil de Flandre de prouver sa nationalité flamande et ne pouvait, sans se contredire soutenir qu'il était Brabançon. Le gouverneur général, pour ne pas devoir rembourser le donatif, lui donna le 21 juin 1677 une nouvelle patente de conseiller surnuméraire en remplacement de de Potter. Heubens fut mis de force

qui acceptis petentibus litteris a Rege succedendi in concilio Brabantiae in locum D. Potters ²⁸⁰⁾, nitebatur accipere possessionem, renitentibus Statibus et Concilio ob diversas rationes. Hinc resolutum ut deputarentur ad Gubernatorem in exercitu, quatenus vellet ordinare accelerationem processus Statuum Brabantiae, contra erectionem tertiae camerae in Concilio, et provisionem D. Hubens tenere suspensum quoadusque lis ista decisa esset. Et deputati sunt Abbas Vladderbacensis ²⁸¹⁾ Marchio d'Esau, et burgimagister Bruxelensis ²⁸²⁾ cum Graffiaro.

21 Octobris, Retulerunt D. Gubernatorem annuisse ut praefatus processus acceleraretur, Commissarii instructores Bruxellam evocarentur etc., et interim institutio seu admissio D. Hubens mansit in suspenso.

29 Octobris, Duo primi Status consenserunt in subsidium 600^m flor., levandum partim via praecariarum et partim impostarum, sub conditionibus uti hoc anno 23^a januarii. Eodem die lecta est epistola D. Gubernatoris, inscripta abbatibus representantibus primum Statuum, ut etiam in posterum discontinuarentur

f^o 223. — illius deputati, uti nobilibus representantibus secundum Statum ordinatum fuerat.

En marge : Deputati discontinuandi.

Présentes, scilicet Abbates Vladderbacensis, Parchensis, Heylessemensis et Diligimensis, resolverunt contentum illius epistolae communicandum esse omnibus absentibus, ut rescriberent an illi acquiescere intenderent, non estimasse rescribendum esse D. Gubernatori, quod discontinuatio nobilibus ordinata esset ad instantiam nonnullorum ex ipsis ; abbates autem ea de re non habuisse difficultatem, et ea propter supplicandum ut relinquuntur in sua pristina libertate continuandi, vel discontinuandi suos deputatos.

22 Octobris. *En marge* : Deputatio primi Status libera uti antea.

en possession de cet office par l'audencier, sur l'ordre du gouverneur général, le 9 octobre 1677. Le roi Charles II confirma sa nomination le 12 août 1680, et ordonna aux Etats de déférer à ses lettres patentes, sauf à en poursuivre l'annulation en justice, s'ils le croyaient nécessaire. Ce fut seulement le 19 février 1687 que les Etats, en vertu d'un ordre formel du roi, consentirent à permettre à Heubens de prêter serment et d'exercer ses fonctions. Heubens mourut le 4 janvier 1693 (GAILLARD, o. c., t. III, p. 364).

²⁸⁰⁾ de Potter (Louis) voir note 243.

²⁸¹⁾ Voir note 84.

²⁸²⁾ Pierre Josse Arnstorff (BUTKENS, o. c., t. II, p. 466).

Coram primo Statu, absente secundo, lectum fuit decretum D. ducis de Villa Hermosa, gubernatoris Belgii, quo super remonstrantiis ei exhibitis per abbates ordinis Praemonstratensis contra ordinationem comitis de Monterey de aprilis 1674, statuit ut in posterum, in primo Statu Brabantiae libera maneret electio deputatorum, uti antea semper fuerat, absque distinctione cujus Ordinis esset, et sic revocata fuit ordinatio comitis de Monterey, obreptitiae anno 1674 optenta, ut abbas Vlierbecanus tunc deputaretur, cum quo aula facere cuncta poterat quae volebat, quia homo simplex erat, de quibus supra in aprili et maio anni 1674.

f° 224. — Anno 1678.

Non comparui in Statibus.

f° 225. — Anno 1679.

4 Februarii, Cum D. Parys, receptor Statuum Brabantiae, diu hesitasset, ob bellum inter Hispanos et Gallos, utrum acceptare vellet officium thesaurarii Statuum, quod in januario anni 1677 ipsi collatum fuerat, et nunc a Statibus premeretur ut se declararet, proposuit Statibus ut si illi vellent relinquere officium thesaurarii, et uni filiorum suorum conferre suum officium receptoris Antwerpiae, quod omnia debita domus mortuariae van Assche, contracta ratione Statuum, in se susciperet ; vel si uni filiorum suorum conferre vellent adjunctionem cum futura successione in suo officio receptoris, quod ferret medietatem dictorum debitorum, et alia prout dederat scripto. Duo primi Status resolverunt ut ipse prius se declararet, an vellet retinere officium thesaurarii, an vero mallet, illo deserto, habere adjunctionem unius filiorum suorum cum futura successione, et ferret medietatem debitorum domus mortuariae van Assche, et deinde liberum ei esset cum aliis aspirare ad officium thesaurarii Statuum. Post meridiem declaravit D. Parys se eligere adjunctionem sui filii in officio receptoris, et duo primi Status electionem ipsi accordarunt, sub conditione quod infra quindenam declarabit quem filiorum suorum ipsi velit adjungi, et casu quo se non declaraverit dicto termino, quod pro adjuncto habebitur ejus senior filius. Et pro 22 februarii indixerunt diem electionis futuri thesaurarii.

22 Februarii, Facta nova deliberatione super collatione officii thesaurarii, ad quod aspirabant, D. Marselaer, baro de Pierck, pro suo filio minorenni, D. de Pleines, D. van Parys, D. de Vroye et D. Veke-mans, primus Status, qui erant 8 numero, 23^a februarii contulerunt illud D. van Parys ; secundus Status, qui erant numero 16, novem ex illis dederunt suffragium D. Parys, sex D. Marselaer, et unus D. de

Pleines. Collatum est autem officium sub diversis conditionibus, prout in registro.

f^o 225^{vo}. — In junio petitum et accordatum fuit subsidium 800^m florenorum, levandum per impositionem duorum vigesimorum nummorum cum dimidio.

f^o 256. — Anno 1680.

In Januario obiit R. A. D. abbas Vlierbecanus, et

En marge : « Deputatie » abbatis S. Gertrudis.

22 Februarii, Facta congregatione primi Status, in qua omnes adfuerunt excepto episcopo Antwerpiensi, ego, fr. Libertus, electus fui in deputatum ordinarium loco D. Vlierbecani. Me excusavi et post plures instantias meas, processum est ad iteratam electionem, et electus est R. abbas S. Gertrudis. Deinde resolutum ut ageretur in aula pro mantenentia abbatum praecedentiae, contra consiliarios et alios qui pretendebant quotidie in sessionibus abbates praecedere. Item ut instaretur pro obtinendis litteris de debitis, quas Cancellarius indebite negabat.

23 Maii, Cancellarius petiit consensum impostarum pro medio anno, inchoando 1^a junii futuro. Item a tribus Statibus accordata sunt 6 millia florenorum Universitati Lovaniensi, pro restaurandis scholis suis, et ad ponendum primum lapidem edifici. Deputati sunt abbas Parchensis, baro de Parcq et burgimagister Lovaniensis ²⁸³). Item resolutum ut instaretur apud Gubernatorem, ut abbatae de Rosendael nominaretur abbatissa, juxta concordatum scilicet, una ex tribus a conventu electis. Item accordata est pensio D. Stercks 600 pataconum, pro officio maioratus Brabantiae, et deductione militum de quarterio in quarterium etc. Nota. In mense septembri fuerunt graves tumultus Bruxellae inter plebeos, ob diversos praetextus, et etiam quia per duos primos Status fuerant emissae aliquot anticipationes super subsidio, necdum per tertium Statum concluso, etc. Et nationes Bruxellenses persederunt domum burgimagistri de Vischere, exilarunt, alibi attentarunt idem facere, et quae voluerunt ab aula impetrarunt pro sedando tumultu.

f^o 226^{vo}. — Anno 1680.

13 Novembris, Facta congregatione Statuum, in qua et comparuit Reverendissimus D. Beugem, episcopus Antwerpiensis, in primo Statu, Dni. dux Arschothanus et princeps Vaudemont, ex secundo Statu, uti equites Aurei Velleris. Nobiles secundi Status deduxerunt

²⁸³) Laurent de Vroye (BUTKENS, o. c., t. II, p. 420).

in partem, et simul egerunt se non velle pati episcopum Antwerpiensem sedere in majori sede, et se in minori, etc., et desuper se exposcere sensum primi Status, etc. Abbates primi Status, praesente episcopo Antwerpiensi, in absentia Archiepiscopi, dixerunt episcopos omnes in possessione sedium majorum. Super hac controversia adhuc fuisse motam quaestionem ab annis decem aut duodecim, et rem fuisse tractatam in judicio, et desuper omne litis pendentiam etc. Ne autem congregatio Statuum dissolveretur aut differretur, quae summe necessaria erat pro medio compositionis, dictus episcopus admisit, ut congregatio fieret sine ordinaria sessione, et stando deliberarent. Ego respondi cum sic D. Episcopo placeret, me non peccaturum si ejus opinioni me conformarem, et sic omnes se conformarunt, quod nobiles secundi Status gratanter acceptarunt, et miser Episcopus nesciens, seipsum ex possessione dejecit.

14 Novembris, Archiepiscopus in Statibus comparuit cum episcopo Antwerpiensi, et hesternum hujus episcopi factum improbavit, Nobiles noluerunt convenire in sessione cum primo Statu, sed congregati in pulchra camera, Graffiarium miserunt et remiserunt ad primum Statum, quatenus Archiepiscopus acta litis, super sedilibus intentata, vellet nobilibus communicare, qui paratum se exhibuit illa ostendere, etc., et adlaboratum fuit pro inveniando medio accommodationis, sed inveniri non potuit, nobilibus Aurei Velleris nolentibus sedere cum episcopis in disparibus sedibus, et episcopis nolentibus possessionem suam deserere, praesertim pendente lite. Et sic in negotio Statuum nihil actum fuit.

f° 227. — 15 Novembris, Status nobilium preoccupata hora ante meridiem congregatus fuit, et primus Status succedane conveniens, in parvo cubiculo se recepit, et circa horam undecimam equitibus Aurei Velleris, scilicet duce Arschotano et principe de Vaudemont discedentibus, primus Status cum secundo Statu in ordinario cubiculo congregati sunt, absque eo quod ex parte equitum Aurei Velleris aut secundi Status aliqua relatio facta fuerit primo Statui. Deinde praelecta fuit remonstrantia exhibenda D. Gubernatori, prolata est, et pro exhibitione ex parte primi et secundi Status deputati sunt duo ex singulo Statu, et ex parte civitatum trium omnes earum deputati.

16 Novembris, D. Cancellarius proposuit impostas inchoandas prima decembris futuri, pro medio anno, etc. Duo primi Status accordarunt, cum addito ut fieret parva remonstrantia, adjungenda consensu, quod hae impostae per civitates indubie non accordarentur nisi complanarentur praevisae difficultates super impostis duorum ter-

minorum praeteritorum, quae necdum erant acceptatae aut completae. Post meridiem, dicta opinio coram Cancellario lecta et aperta fuit.

17 Novembris, Dominica.

f° 228. — Anno 1681.

3 Februarii, Apertae sunt opiniones civitatum super impostis inchoandis prima decembris 1680, et apposita conditio « niemant vreij ». Nota. Pro duobus terminis impostarum de anno 1680, impostae non fuerunt per civitates accordatae, neque elocatae, neque in pagis collectae. Memoria.

5 Maii, Per Cancellarium petitae impostae pro medio anno, inchoando prima junii, et

6 Maii, per duos primos Status accordatae, « niemant vreij ». Item facta relatio qualiter civitates consenserunt in subsidio ultimo octingentorum millium florenorum, et ubi duo primi Status consenserant in duos vigesimos nummos cum medio, Bruxellenses voluerunt ut per ruralem patriam tantum solverentur duo vigesimi nummi, et in civitate Bruxellensi de domibus, fundis et redditibus tantum solveretur dimidius vigesimus nummus, et inde solverentur civitati 40 millia florenorum, ad satisfaciendum interessatis quibus allati fuerant fundi, et incorporati in fortificationibus civitatis. Et Antwerpienses conditionarunt quod quota suae civitatis impenderetur reparationi munitionum et portarum suae urbis. Et Lovanienses conditionarunt quod satisfacerent solvendo semel seu unum vigesimum nummum.

7 Maii, Coram Cancellario aperta est opinio duorum primorum Statuum super impostis hesternae die accordatis.

En marge : « Subsidie ».

Item Cancellarius, nomine suae Majestatis, petiit novum subsidium quindecim centum millium florenorum. Et 18^a, 19^a et 20^a junii resolutum et accordata 800^m florenorum levanda per solutionem duorum cum dimidio vigesimorum nummorum, id est « twee en halff twintichste peningen ».

21 Julii. *En marge* : Deputatio baronis Dongelberge.

Completo termino quatuor annorum baronis de Perck, in ejus locum deputatus est, ex parte secundi Status, baro de Dongelbergh, qui primum intravit in mense octobris sequenti, et cum biduo inter deputatos comparuisset, tertio die mane, tactus apoplexia, subito mortuus fuit. Requiescat in pace. Post aliquot dies, in ejus locum nobiles rursum elegerunt D. baronem de Pierck.

f° 228^{vo}. — In fine septembris apertae sunt opiniones civitatum

super dicto subsidio. Lovanienses consenserunt in dictum subsidium 800^m flor., salvo quod oppidani illius, et illi de Heverle, Autheverle et Eegenhove tantum solverent unum vigesimum nummum. Bruxellenses etiam consenserunt, salvo quod ipsi tantum solverent duos vigesimos nummos. Antwerpienses etiam consenserunt salvo quod pro sua quota tantum solverent 68 millia flor., invenienda super mediis ab ipsis imponendis, a quibus nullus esset immunis, etc. Variae aliae conditiones fuerunt appositae. In initio octobris allata fuit acta acceptationis, quae dictae conditiones moderabatur, et deputati civitatum illa acquieverunt, et

13 Octobris, in Statibus generalibus lecta est epistola Gubernatoris inscripta tribus in Statibus, qua illis injungebat ut subsidium levaretur, juxta conditiones a civitatibus conditas.

En marge : « Imposten ».

Eodem die, vice Cancelarii, D. Rycquart, in absentia Cancelarii, nomine Regis petiit continuationem impostarum.

f^o 229. — Anno 1682.

Circa Pascha venit Hispania Bruxellam marchio Otto de Carretto, marchio de Grana etc. cum titulo gubernatoris Belgii regii, per interim. D. Princeps Parmensis prima die aprilis et quarta feria paschali, clancularie et absque valedictione Bruxella discessit, eodem vesperi Lovanii quievit, et die sequenti summo mane Lovanio discessit Leodium, antequam Bruxellis scirent eum Lovanium venisse.

9 Aprilis, Ad instantiam novi Gubernatoris fuerunt petitae impostae, inchoandae prima junii futura, et fuerunt a duobus primis Statibus accordatae.

En marge : « Imposten ».

Quaestio mota fuit an conditionaretur « niemant vreij » quod petebant Antwerpienses et Lovanienses, sed non Bruxellensis magistratus, qui desiderabant aulicis et consiliariis, etc. suam solitam relinquere exemptionem ab impostis. Hinc duo primi Status consenserunt impostas simpliciter sine conditione vel appositione « niemant vreij ». In diem sequentem fuerunt deputati ex duobus primis Statibus quatuor qui congratularentur felicem adventum novo Gubernatori, cum deputatis civitatum.

10 Aprilis, et erat hora indicta, nona ante meridiem, et quia ego serius veneram, esto deputatus fueram, alii complementum suum peregerunt.

11 Aprilis, Consensus impostarum praelectus est D. Rycquaert, uti vice cancellario, qui petitionem fecerat.